



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Semicenturia Variarum Resolutionum Moralium Pro Foro Interno, Atque Externo**

**Heislinger, Anton**

**Monachii, 1745**

Casus XIII. De pretio justo minore supplendo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40155**

us aliquid ex compensatione lucri cessantis poterit detrahi, comparatis scilicet inter se, & spe ipsius lucri faciendi, & periculo non faciendi; hinc si periculum & spes sint æqualia, nihil pro hoc poterit exigi, bene autem, si majus sit periculum, quàm ipsa spes. Hac enim ratione & non alia æqualitas contractus observabitur.

16 Cùm autem venditor differendo venditionem ad ulterius tempus in re conservanda, ac postea distrahenda laborem subire debeat, hinc etiam quæritur, an ob hunc laborem aliquid emptor detrahere possit ex summa pro lucro cessante persolvenda. Lessius *lib. 2. cap. 20. num. 89.* & Card. de Lugo *disp. 25. n. 106.*

defendunt, tunc ratione laboris aliquid detrahi posse, quando eundem ipse venditor pro pretio æstimat, ità, ut vacationem ab eo, & otium redimere paratus esset; secus si nollet redimere, sed laborem libenter subire, tum ad vitandum otium, aliàmve molestiam, vel quia facili conatu cum cæteris laboribus id præstaret. Rationem dant, quia vacatio laboris respectu laborantis, non autem in genere spectanda est, ità, ut si huic labor molestiam aliquam afferat, qua se exemptum vellet, otium sit pretio æstimabile, non item, si laborans æquè facilè libenter laborem admittat, quàm otium.



### Casus XIII.

*De pretio, justo minore, supplendo.*

**P**etrus optima fide in foro scrutario emit, vel comutavit metallinam statuam, quàm Ecclesiæ curatores tanquam Ecclesiæ parùm utilem

vendendam exposuerunt ex rationabilibus causis, pretio, ut venditoribus videbatur, justo, ac tali, quod notabili tempore pro ea nemo pendere volebat. Cùm  
verò



verò Petrus emptam statuam rei metallinæ peritis exhiberet, comperit, eam ob metalli præstantiam quadruplo majoris esse, quàm quo ipse emerat. Hanc suam fortunam non satis capiens eam incauta jactantia prodit, ita, ut in venditorum notitiam pervenerit, qui tanquam læsi infra dimidium contractum rescindere, vel saltem redhibitoriam actionem, aut quanto majoris, vel restitutionem in integrum moliantur.

Quær. An Petrus possit totam pretii summam pecunias pro comparata statua persolutas excedentis retinere?

### Synopsis.

#### §. I.

##### *Præsupponenda.*

1. Affertur descriptio contractuum.
2. Conditiones validi contractus explicantur.
3. Pretium debet esse justum, legale, vel commune.
4. Merces obtrusæ vilescunt.
5. Error substantialis irritat contractum.

6. Merces raræ peregrinæ &c. non venduntur quocunque pretio.

#### §. II.

*An Petrus possit totam summam pretii, pecunias pro comparata statua persolutas excedentis retinere?*

7. Resolutio est negativa.
8. Res tanti solum est, quanti licite vendi potest.
9. In quo sensu quilibet sit rei suæ moderator.
10. Intra limites justii pretii contrahentes se circumvenire possunt.
11. Emens minoris, quod pluris est, à lege non punitur.
12. Excessum donare non censetur, qui plus valore res solvit.
13. Contractus est obligatio circa æqualitatem mercis & pretii.
14. Rerum pretium ex prudenti intelligentium rei æstimabilitate desumitur.
15. Excessus iste non fuit merum lucrum industriæ.
16. Nec est paritas cum thesauro in agro empto reperto.



## §. I.

*Præsupponenda.*

**A**Ntequam opinionem nostram circa resolutionem hujus casus proferamus, præmittenda quædam putavimus, quæ ad omnem venditionis aut permutationis contractum meliùs intelligendum videntur necessaria.

Suppono itaque 1. Contractum strictè acceptum, & per effectum descriptum, esse ultro, citròque obligationem; formaliter autem acceptus est pactum ultro, citròque, id est, utrinque obligationem pariens.

Juxta alios contractus est exterius acceptata & manifestata legitima volitio obligationis justitiæ commutativæ ad aliquid faciendum, aut patiendum; hæc verò manifestatio in hac definitione requisita quatuor potissimum modis fit, scilicet, re, verbis, litteris, & consensu. Ad præpositum casum, in quantum est permutatio, est requisitus primus modus, cum permutatio sit contractus realis, qui actuali tra-

ditione intrinsecè consumatur, si emptio ponitur celebrata, conditiones ad hujus valorem necessarias habere illum oportet. Secundò, dicitur esse contractus legitima volitio, ad quam requiritur primò, ut contrahens habeat potestatem contrahendi, quam per se loquendò habent omnes actualem usum rationis habentes, nisi lege prohibeantur; dein esse debet circa rem, quæ subit ipsi dominio, aut liberæ dispositioni contrahentis: juxta tertiam in definitione insinuatam conditionem debet esse volitio obligationis justitiæ, ad quam requiritur æqualitas inter res, circa quas instituitur contractus, quam æqualitatem justitia commutativa ex natura sua respicit, atque unicè intendit; hinc in contractu emptionis & venditionis debet esse æqualitas inter pretiù & rei emptæ, vel venditæ intrinsecù valorem; quod etiam de permutationibus dicendum; quamvis enim permutatio differat ab emptione, iisdem tamen regulis dirigitur, quibus contractus emptionis.

Supponimus 2. Ut venditio- 3  
nis, emptionis ac permutationis

con-



contractus licite fiat, quod oporteat pretium esse justum, quod utrum tale sit, ex duplici capite desumendum est, scilicet ex iudicio vel Principis determinatione, quod ab ipsius lege vel voluntate legitimum appellatur, aut ex prudenti hominum iudicio atque arbitrio fundato in communi (non tamen particulari) erga talem mercem affectu, utilitate, necessitate, raritate mercis, multitudine emptorum, & aliis circumstantiis, ex quibus decrementum & incrementum pretii desumitur.

4 Suppono 3. Merces ultroneas, seu obtrusas vilescere, ita ut Cajetanus verbo: *emptio cap. 1.* & Salas *dub. 25. n. 4. relati nec improbat* à Palao, *disp. 5. part. 12. n. 1.* dicere audeant, pallium in officina mercatoris quatuor aureos valens ab emptore rogato posse emi duobus.

5 Suppono 4. Si circa contractum error substantialis committatur, quatenus scilicet objectum, prout cognoscitur à contrahente est substantialiter aliud ab eo, prout est à parte rei, esse contractum jure naturæ irritum, ac proinde jure positivo nunquam

validabilem. Ita tenent Lessius, Palao, *disp. 2. de juram. pu. s. n. 4.* cum communi. Tunc autem objectum censetur substantialiter aliud, quando caret aliqua conditione, ad quam contrahens suam intentionem vel actu restringit, vel ex consuetudinis, aut legis suppositione creditur restrinxisse. Ratio est, quia deficiente consensu deficit contractus, sed ubi deficit veritas objecti, deficit consensus, ergo etiam contractus. Probat. min. contrahentis consensus non est nisi circa hoc objectum: ergo si istud in se est aliud, quam sit in intentione contrahentis, circa illud non consentit.

6 Suppono 5. Etiam res raras, peregrinas, pretiosas &c. quales sunt raræ gemmæ, pretiosæ picturæ, antiquæ statuæ, signa, & numismata &c. non posse vendi tanti, quanti voluerit venditor vendere, & emptor emere. Ita Cajet. Arragn. Gabriel, Molina, *tract. 2. disp. 348* Nav. in *manuali c. 23. n. 78.* Less. *lib. 2. cap. 21. n. 6.* Rebellus *part. 2. lib. 9. quest. 2. n. 10.* Ratio est, quod pretia rerum non affectu, nec utilitate singulorum, sed communiter



niter fungantur. lege 63. ff. ad lege falcid. id est comuni, iudicio lato, vel probabiliter ferendo, nitantur, non ex æstimatione & affectu, singulorum contrahentium sæpe imprudenti & infano; adde istis, quòd valor omnium rerum venalium sumatur in ordine ad usus humanos, & horum utilitatem, quæ est finita: ergo etiam pretium, dein valor pretii debet esse æquus & commensus valori rei; talis autem censer non potest, si prudentes inspectis, & consideratis omnibus tam dotibus mercis, quàm magnitudine pretii postulati iudicent, non dari proportionem & æqualitatem inter utrumque; sed pretium esse nimium; tales igitur merces recipiunt certam æstimationem peritorum & prudentum.

## §. II.

*An Petrus possit retinere totam summam pretii, pecunias pro comparata statua solutas excedentis?*

7 **R**esponso est negativa. Prob. Petrus non potest ex re non sua percipere lucrum, sed hoc

lucrum est ex re alterius, quàm ipsius Petri: ergo istud non potest percipere Petrus. Major constat; cum spectet lucrum rei ad dominium rei. Probat. min. per hunc contractum tanquam invalidum non est dominium statuæ in Petrum translatum: ergo hoc lucrum non est ex re ipsius Petri. Prob. antec. omnis contractus, in quo non datur æqualitas inter pretium & mercem, sed unus contrahentium enormiter est læsus, invalidus & defectuosus est, sed in hoc non servabatur æqualitas inter mercem & pretium: ergo non est validus. minor constat, quia statua ob præstantiam melioris metalli est longè majoris valoris intrinseci.

Confirm. I. Ut contractus sit validus, pretium debet esse iustum, sed hoc non fuit. Prob. min. iustitia pretii est desumenda ex prudenti æstimatione hominum, hoc est, eorum, qui rei naturam & præstantiam intelligunt, non autem quorumcunque non intelligentium; sed Petrus juxta speciem facti non dedit tale pretium: ergo contractus non fuit validus.

Con-



Confirm. 1. In hoc casu est commissus error substantialis, seu versans circa substantiam mercis, quia hæc judicabatur esse confecta ex metallo multum ignobiliore, & minoris valoris; consequenter objectum contrahentium prout ab his cognoscebatur, erat substantialiter aliud, quam fuerat à parte rei, cum multo argento erat permixtum, quod contrahentes non agnoverant: atqui contractus, in quo error substantialis est commissus, est invalidus, & nullus, ergo &c.

Confirm. 3. Ex Sexto Pedio ait Paulus J. C. *lege 33. ff. ad legem Aquiliam, & leg. 63. ff. ad legem falcidiam: pretia rerum non ex affectu, nec utilitate singulorum, sed communiter (juxta communem æstimationem) funguntur.* id est, tanti res æstimanda est, quanti verè est, & omnibus valet, non quantum alicui ex affectione.

Confirm. 4. Æquitas emptionis, venditionis consistit in æquitate pretii cum re, quæ pro illo exhibetur, æquitas autem ista non consistit in hoc, quòd contrahentes super hoc vel illo

pretio conveniant. Prob. min. tam res, quam moneta, quæ pro pretio datur, habent intrinsicè cum quemdam valorem ab æstimatione hujus vel illius emptoris vel venditoris independentem, cum hæc possit esse erronea, uti etiam mala illorum voluntas: ergo &c. æquus igitur erit contractus, & justus, si valor, quem res ex sua, & circumstantiarum natura habet, commensus sit simili valori, quem habet pretium.

Objicitur contra hæc primò. 8 Res tanti est, quanti vendi potest juxta commune jurisperitorum proloquium desumptum ex *lege pretia rerum. 63. ff. ad leg. falcid.* ergo contractus fuit validus. Resp. dist. antec. tanti res est, quanti vendi potest licitè, id est, seclusò dolò, fraude, ignorantia, violentia, necessitate, nimio affectu, & cæca passione, concedo: etiam illicitè, ac extra limites justii pretii neg.

Objic. 2. Quisque rei suæ 9 moderator est, & arbiter *lege. in re 21. Cod. mandati* ergo non tenetur venditor alteri rem suam tradere, nisi pro pretio, quo ipse vult, & emptor quoque, cum  
 Q  
 sui



sui pretii sit moderator, poterit dare tantum, quantum vult. Resp. dist. antec. quilibet est moderator suæ rei, ita, ut regulariter illam retinere possit, nec regulariter teneatur alienare. conc. ut quovis pretio possit rem illam emere, aut vendere, neg. lex citata solummodo innuit, dominum posse ad libitum de re sua disponere, nisi videlicet lex obstet, non autem mandatarium.

10 Objic. 3. Ex Pomponio Ulpianus ait, lege, in causa, 16. §. 4. ff. de minor. in pretio emptio- nis & venditionis naturaliter licitum esse contrahentibus se circumvenire, ergo quolibet pretio res vendi atque emi poterit. Respond. licitum seu permissum est circumvenire intra limites tamen justii pretii conc. extra istas. neg. justum pretium est triplex: summum, medium, ac infimum, circa hoc possunt contrahentes se convenire.

11 Urgent. Possunt se circumvenire etiam ultra justum pretium. Prob. Paulus J. C. leg. 22. §. 3. ff. locati ait, in emendo, & vendendo naturaliter concessum est, quod pluri sit, minoris emere, quod mi-

noris sit, pluri vendere, & ita se invicem circumscribere. Resp. dist. licitum est, hoc est, non est puni- tum per leges, conc. in alio sensu, neg.

Objic. 4. Siquis sciens, & 12 prudens dat plus, quam res valet, censetur excessum donare, ipsique contrahentes censendi sunt convenire in hoc, ut venditor lucri faciat, quod plus accepit, emptor, quod minus dedit: ergo &c. Resp. neg. antec. cum ista remissio mutua gratis fingatur, quia venditor ordinariè, si pretium justo majus accipit, & emptor, si dat justo majus, id facit vel ex ignorantia, vel necessitate coactus, aut passione, & cæco affectu ductus, ubi semper deest voluntas donandi excessum.

Objic. 5. Contractus nostri 13 Petri habet omnia ad sui valorem necessaria, ergo &c. Prob. antec. consensus manifestatus & mutuò acceptatus, res fuit libere tradita, consumatus contractus. Item hic contractus est legitimus, utpote factus ab habente potestatem contrahendi, & circa rem, quæ est in potestate vendentis. Tertiò, est voli-

tio



tio obligationis justitiæ commutativæ: ergo, Resp. dist. ultimum; est volitio obligationis justitiæ circa æqualitatem mercis & ipsius pretii, neg. sine ista, trans.

174 Objic. 6. Si non foret validus hic contractus, tunc ideo, quia pretium justum non fuit pro statua persolutum; hæc ratio nulla est; non enim istius injustitiæ probari potest ex eo, quod non fuerit pretium legitimum; Cùm enim princeps nullum pretium pro hac statua persolvendum statuerit, non dabatur ullum pro ista legitimum pretium; fuit tamen pretium justum commune; cùm enim hæc statua in foro publico fuerit exposita; potest supponi, eandem à prudentibus viris visam fuisse; ex horum autem prudenti judicio, & communi erga talem mercem affectu, utilitate, ac necessitate, hæc statua non fuit pluris æstimata; cùm ab ipsis curatoribus fuerit habita sibi & Ecclesiæ inutilis, aut minimè necessaria, ergo tale pretium fuit justum. Resp. cùm pretium rei sit desumendum ex prudenti hominum intelligentium rei bonitatem, ac

æstimabilitatem, & non quorumcunque rem obiter & sine cura, aut animo eam examinandi ac æstimandi aspicientium vel non agnoscentium, quales fuerunt isti Ecclesiæ Curatores, vel alii, quorum oculis exposita fuerit statua; hinc valor hujus statuæ ex judicio allatorum non poterit desumi, quia miscellam multi argenti cum ære non agnoverant.

Objic. 7. Excessum majoris<sup>15</sup> valoris potest Petrus adscribere suæ industriæ, quam adhibuit, & qua hunc excessum lucri comparavit mittendo particulam metalli Monachium, in capella (utî dici solet) examinandum; cùm ergo fructus industriales sint ejus, qui ponit industriam; igitur istud excedens lucrum erit Petri. Resp. neg. antec. quod scilicet iste excessus sit lucrum industriæ. Ratio est, quod statua hoc pretium habeat ex sua intrinseca bonitate, & metalli præstantia, ad quam hæc Petri industria nihil contulit; ex altera autem parte fructus industriales dicantur, qui non habentur ex ipsa re, sed præcisè, quatenus res subest humanæ industriæ: er-



go excessus iste lucri non potest annumerari fructibus industrialibus, cum iste ubivis locorum, in quibus præstantia metalli est cognita, haberi possit.

16 Objic. 8. Qui scit in alieno fundo latere thesaurum, potest juxta communem Theologorum fundum dissimulanter emere pretio communi, quo valet secluso thesauro, & servare thesaurum sibi integrum, tanquam fortunæ lucrum, ergo etiam Petrus hunc excessum, qui per modum thesauri se habet. Resp. transmissio antecedente nego paritatem; thesaurus enim neque est pars fundi, neque fructus fundi; ergo pretium in dato casu datum jam est æquale merci,

empto scilicet fundo, non continenti in se thesaurum; e contra nobilius metallum statuæ est pars intrinseca statuæ, ergo valor iste major est fructus naturalis statuæ, non habens se instar thesauri in fundo latentis.

Quod confirmatur: si quis emit vestem, cui aurum latenter est insertum, juxta omnes istud esset priori domino vestis restituendum, eò quòd non habeat rationem thesauri; cum adhuc illius dominus ponatur existere, uti & memoria hujus domini; sed hac ratione habet se pretiosius metallum huic statuæ æris immixtum, ergo  
&c.



## Casus XIV.

*De jure in fructus rei venditæ quidem, sed necdum traditæ.*

**C**Ajus tempore verno emit à Mariellino confitum frumentò agrum, quin tamen ullum ab illo pretium venditor acceperit, aut hic emptori agrum tradiderit; post peractam messem solvit Cajus pretium, utque sibi unà cum agro etiam collectæ